



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In  
Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Foullon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

IX. Etiam in aulis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](#)

Martyres, inter minas securi, inter metus intrepidi, inter tormenta doloresque læti: de quibus suum istud, in libro de Mortalitate, ingeminet Cyprianus, *Quanta sublimitas, inter ruinas generis humani stare erectū!* Eò venit D. Martinus, qui cùm in latronum turmam incidisset, tam illīc quietus stetit, quam in cœtu monachorum, aut cuneo prophetarum: quia, ut ipse met ea de re interrogatus respondit, hoc apud se firmissimè statuerat, pati quidquid Deus vellet.

ix. Ad idem fastigium ascenderat, in-  
*Eiam in aulis.* ter aulæ delicias natus & educatus,

D. Elzarius Arianensis Comes, qui Neapoli in Provinciam Phocæensem navigans, periclitante per fædissimam tempestatem navigio, attonitis & emortuis metu cæteris, solus ipse immobilis orare perseveravit. Rogatusque ab uxore, postquam venti posuerant, an in eo terrore homo esse desisset: non equidem, inquit, sed me voluntati divinæ tradideram, paratus, vicem vectorum omnium, hauriri fluctibus, si vitæ nostræ domino-

L 6. placuisse

## 252    BONA VOLUNTAS

placuisset. Eodem tranquillitatis per-  
venerat, aulicorum togatorum exemplar,  
Thomas Morus: cùm ad nuntium absum-  
pti incendio horrei frumentorumque re-  
conditorum, uxorem statim per literas  
monuit, ita Deum voluisse, iret cum fa-  
milia ad templum actura gratias. Cùm  
autem jussu impii Regis captivus tenere-  
tur, carissimæ filiæ Margaretæ suadenti,  
ut, ad obtainendam libertatem, Regi ali-  
quid & gratiæ daret, timendum enim ne  
nimia constantia malis denique obruere-  
tur: gravissimè respondit: Contingere  
nihil posse, quod Deus nolit: quidquid au-  
tem ille vult, utcunque malum nobis vi-  
deatur, optimum tamen revera esse: inter  
calamitatum quarumvis impulsus, de auxi-  
lio Dei nolle diffidere, quantumcumque  
imbecillem sese sentiret: etiam si animum  
suum consternari procellarum horrore  
contingeret, memorem tamen illius fore,  
qui cùm inergi cœpisset, clamavit, *Do-*  
*mine salvum me fac.* In eâdem ani-  
quiete nuper consistebat Christianæ no-  
bilitatis speculum, Gasto Rentiacus, ex  
intimo.

intimo animi sensu dicere solitus, accidere nihil posse quod nollet, & quo turbaretur. Nec fortius dicere solitus, quam facere: cum graves jacturas, molestissimas lites, frequentes morbos, subita incendia, aliqua tristium eventorum, æquali semper vultu, & eodem quo lætitiam ac fælicitatem aspicerit, ex quo ad excelsam virtutem à Deo vocatus, ejus voluntatem in omnibus cœpit intueri.

X. *Quid aliquos coimeinoro? Eò*  
*Fidendum* pertigerunt omnes, qui Provi-  
*Deo.* dentiæ Dei totos sese permisere,  
&, ut id facerent, fiduciam de fortius illius  
ac suavi ductu habuere. Supra petram  
hanc fundati, inundationibus procellisque  
obsistunt, dum arenaria ædificia flatibus  
& aquis subruuntur. Qui enim confi-  
dunt in Domino, sicut mons Sion non  
cominovebitur, etsi aliorum montium  
cacumina terræmotibus vacillent, hient  
latera, tremant fundamenta. Nec mi-  
rum, cum Sionis habitator & protector  
sit Dominus, & mentes Sioni similes præ-  
ficii sui spe certa contra incurrentia om-

nia.